

Dissertatio medica de aquae calidae potu ... / praeside ... Heinrich Meibomio ... publico examini submittit Brandan Diderich Behrens ... ad d. XXIV. Aprilis Anno M DC LXXXIX.

Contributors

Meibom, Heinrich, 1638-1700.
Behrens, Brandan Diderich, active 1688-1692.
Hamm, Georg Wolfgang, active 1681-1715
Universität Helmstedt.

Publication/Creation

Helmestadii : Typis Georg-Wolfgangi Hammii, [1689]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kxm4b9ep>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
DE

AQVÆ CALIDÆ
POTV,

QUAM

DEO FELICITER ANNUENTE

In illustri Academia JULIA

PRÆSIDE

Viro Clarissimo

DN. HEINRICO MEIBOMIO

Med. Doct. ejusd. & Histor. ac Poës. Professore

Publ. ac Ordin. longè celeberrimo, Facultatis

Medicæ Seniore venerabili, & Archiatro

Guelfico felicissimo

Dn. Fautore, Præceptore & Hospite suo

etatem venerando

Publico examini submittit

BRANDAN DIDERICH BEHRENS

Wolferbytanus.

A. & R.

ad d. xxiv. Aprilis Anno M DC LXXXIX.

IN JULEO MAJORI.

HELMESTADT,

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.

DISSEMINATIO MEDICA

DE

AGRI CULTURA

POTIV

IN

DEO ET HONORI INVENTI

in libro...

...

...

ON THE MEDICINE

...

...

...

...

...

...

...

RANDAM DISTRICT

...

...

...

...

...

...



SERENISSIMIS ac POTENTISSIMIS
PRINCIPIBUS ac DOMINIS

DOMINO

RVDOLPHO AU-
GVSTO,
& DOMINO

ANTONIO UL-
RICO,

Ducibus Brunsvicensium & Lü-
neburgensium

Dominis meis Clementissimis.



SERENISSIMI PRINCIPES , DO- MINI CLEMENTISSIMI



Quod olim Persarum
Regi à quodam sub-
ditorum suorum in si-
gnum humillimæ de-
votionis porrigeba-
tur , & tenue quamvis , ac vulgare ,
clementer tamen accipiebatur ,
id ipsum & ego Vobis offero Sere-
nissimi Principes , aquam nem-
pe,

pe , eamque puram ac simplicem ,
non alio fane nomine , quam ut ani-
mum meum devotissimum æque , ac
subiectissimum testatum faciam. Cui
enim potius inscriberem primitias
hasce Academicas, quam Vobis, qui-
bus cum Parente meo, uti omnia, ita
& has quoque debeo. Equidem
fateor , erat cur dubitarem , debe-
remne tanta nomina exiguis hisce pa-
gellis præponere , an vero easdem
oculis vestris subtrahere. Nihil enim
quo commendarentur, habere vide-
bantur, nisi forsan argumentum ipsis
statueret aliquod pretium. Hoc
enim ejus generis est , quo Vos dele-
ctari aliquando ostendistis , ideoque
spem aliquam mihi facio , fore , ut
nec ingratum Vobis futurum sit præ-
sens

sens hoc munusculum : cui conscribendo , ut exemplum Vestrum occasionem dedit , ita vultum quoque vestrum clementem ac benignum sibi spondet. Ego interim supremum Numen ardentibus precibus adorabo , ut Serenitates Vestras in totius patriæ , & si id addere etiam fas est, in meum commodum , diu & animo, & corpore florentes superesse velit. Id quod ex animo voveo

*Serenissimi ac Potentissimi
principes*

Serenitatum Vestrarum

humillimus servus.

BRANDAN DIEDERICH BEHRENS.

THES. I.

Inter plurimas quæ Medico in arte sua considerationes occurrunt, valde utilis quoque est illa, quæ circa victus rationem instituitur. Hic enim cum multiplex sit, nec tantum ratione regionum variet, sed aliter atque aliter pene à singulis instituitur, prout vel assuetus est, vel gulæ suæ blandiri quis cupit; non unius quoque generis sunt, quæ accuratius a Medicis perpendi & examinari debent. Nos tamen missis iis, quæ tam de cibis, quam variis potibus, quos vel ad corporis sui sustentationem necessitas, vel ad voluptatem ingeniosa gula invenit, dici possent, in præsentia agere decrevimus de Potu Aquæ Calidæ, consideraturi præcipue, an ille & qua ratione utilis esse ac sanitati conducere possit.

II.

Quemadmodum enim cibus primâ mundi ætate simplex fuit, & talis qui dicente *Seneca ep. 95.* non nisi esurientibus placere poterat, & ut *Ovid. 4. Fastor.* canit:

*Panis erat primis viridis mortalibus herbæ,
Quas tellus nullo sollicitante dabat.*

Ita quoque potus non alius primis hominibus,isque cum plurimis animalibus communis, quam pura & simplex aqua fuit, quæ etiam idcirco naturalis & maxime necessarius potus passim audit, quamq; non tantum ex fluviiis petere, sed fontes etiam eo nomine quærere

solebant, uti præter alia ex sacris literis & imprimis ex *Genes. XXVI.* constat.

III.

Progressu temporis cum simplicem talem potum fastidirent homines, quidam in ejus locum, naturæ circa foetus alendos institutum secuti, lac assumerunt, cujus quam frequens olim fuerit usus, ex plurimis illis testimoniis, quæ in commentario suo de cerevisiis affert *Cl. Iob. Henr. Meibomius cap. 2.* videre licet, plurimis inde gentibus Getis, Scythis, Nomadibus γαλακτος ποταις dictis. Et priscos Germanos nostros, quorum inter cibos lac fuisse in *Cl. Conringii tractatu de caus. habit. corp. Germ. p. 58. & seqq.* docetur, in potu quoque lac habuisse, probabile est; uti hodieque in Batavis γαλακτος ποται lactibibi sunt, rusticique æstate tota vel lac vel serum potius lactis bibunt.

IV.

Quidam hoc non contenti potiones ex frugibus parare, & has aquæ incoquere cœperunt; nec minus mel aquæ miscere, atque sic potus suos, (quos Græci υδρομέλιτ & nomine appellabant) confecerunt, ejusque varios præparandi modos excogitarunt, ut idem *Joh. Henr. Meibomius cit. loc.* probat. Successere denique potus ex fructibus parati, tandemque Vinum; In cuius cultura quamvis plerique inventorem Noachum imitari conarentur, mansit tamen apud plurimas gentes in vulgus certe, aquæ usus, tum quod vitium culturam non quævis tellus ferret, tum etiam quod paupertas vel vini vel alius potus usum non ubivis admitteret, sed potius illud ad valetudinis fractæ restorationem reservare, aut ditioribus ad delicias & luxuriam relinquere cogeret,

V. Quam-

V.

Quamvis autem aquæ usu plerique contenti essent, frigidam tamen, uti naturaliter ubivis sese habet, eam biberunt. Nec tantum, dum sani essent, restinguendi æstus causa frigidam bibebant, sed etiam tum, cum sanitatis quandam jacturam paterentur. Unde passim eam laudari videas ab *Hippocrate*, ut 2. *de morb.* xxxvi. in febre biliosa, *Popular. V*, xlix. in doloribus ventris, refertque *Plinius hist. Nat.* l. 26. c. 3. quomodo *Asclepiades* frigida in morbis data nomen sibi acquisiverit.

VI.

Et illo quidem frigore aquæ ita delectati sunt, ut ne naturali quidem per æstus contenti, noxum illi per artem conciliarent, & singulari modo aquam in-frigidarent, etiam decoctam prius, & dein vitro in nives immissam, ex *Neronis* invento, de quo *Plinius* l. 31. c. 3. Morem hunc, ejusque primos inventores pluribus enarrat *Athenæus Deipnosoph. lib.* 3. c. 34. Hinc nives ad æstatem usque in subterraneis fossis conservabant, quod eleganter etiam commemorat *Job. Langius ep. Medic.* 31. lib. 1. hoc ex *Martiali* adducto epigrammate :

Non potare nivem, sed aquam potare rigentem

De nive, commenta est ingeniosa sitis.

Qui mos in calidioribus locis hodieque frequentissimus, etiam in frigidiora & septentrionalia loca, in Principum & ditiorum usus translatus est.

VII

Nihilominus tamen extra omne dubium est, calidæ etiam usum satis frequentem fuisse apud quosdam populos, tum quod gratam illam, tum quod ven-

B

triculo

triculo non inutilem esse deprehenderent. Neque frequentis tantum usus, sed in deliciis etiam fuisse priscis, tum Græcis, tum Romanis, patet ex supra dicto *Athenæo Deipnosoph. lib. 3. c. 34.* Innuere etiam hoc ipsum videtur *Horatius Od. 19. l. 3.* quærens :

Quis aquam temperet ignibus?

Et cum illo *Juvenalis Sat. 5.*

Quando vocatus adest calidæ gelidæq; minister?

Quæ verba lucem accipiunt ex iis, quæ *Ammianus Marcellinus lib. xxix.* de sui seculi moribus commemorat inquiens : *Ita autem pauci sunt inter eos severi vindices delictorum, ut si aquam calidam tardius attulerit servus, trecentis affligi verberibus jubeatur.* Meminit etiam hujus *Plautus in Milit. glorios.*

*Neg, ille, inquit, calidum hîc exhibit in prandium
Nam nimis calebat, amburebat gutturem.*

It. in Trinum.

— — — *Satin in thermopolio
Condaliū es oblitus, postquam thermopotasti gutturem*

Et in Curculion.

*Quos semper videas bibentes esse in Thermopolio :
Ubi quid surripuere, operto capitulo calidum bibunt,*

Tristes atq; ebrioli incedunt.

Quæ latius hîc explicare nunc non libet, cum præfettim id copiosissime factum sit à *Just. Lips. 1. Elector. c. 4.* & *Antonio Persio* integro tractatu Italico *Del bever caldo*, nec minus à *Job. Freinshemio* in Epistola ad *D. Kuefferum* de calidæ potu scripta.

IIX.

An autem ille Calidæ aquæ potus ad sanitatem conducibilis fuerit, & an in hoc Romanos Græcosque imitari debeamus, his thesibus disquiremus. Ut autem id accuratius facere queamus, prius, quid actu calidum, (non in excessu tamen, ut urat,) in corpus nostrum agat, quomodo ventriculum afficiat, & qua ratione commodum & huic & illi præstet, dispiciemus.

IX.

Est autem usu ipso notissimum, *εὐπεψίαν* multum adjuvari, si quæ assumuntur, actu calida exhibeantur. Unde solidos cibos plerosque calidos à foco (in morationibus saltem orbis partibus) assumimus: Qui ab igne jam præparati aliquo modo sunt, atque sic facilius citiusque digestionem in ventriculo subeunt, & in pulvem seu cremorem rediguntur. Jusculis deinde calidis quotidie utimur, non sine concoctionis fructu & summo sanitatis nostræ commodo. Contrarium illi imprimis deprehendunt, qui necessitate coacti, ut in bello, & magnis itineribus, nunquam calida alimenta assumunt, sed frigidis contenti esse coguntur, quæ dum à ventriculo subigi, resolvi, & in chylum laudabilem redigi nequeunt, non tam bene nutriuntur, & in atrophias interdum & hydropes incidunt. Id quod in senibus maxime manifestum est, cum in illis remittat calor, ideoque actu calida tam externa, quàm interna, quibus reficiantur & foveantur, requirant, à quorum proinde usu quàm optime habent. Nec sine ratione infantibus, qui lac quoque è matris aut nutricis uberibus tepidum accipi-

unt. calida plerumque iuscula exhibemus, quæ & facillimè digeruntur, & ad citum corporis incrementum multum conferunt.

X.

Videtur vero ille actualis calor cum cibo & potu communicatus calorem, qui jam naturaliter nobis inest, fovere, excitare & augere. Ideoque possem multa hic de Nativo Calido ejusq; formali ratione, sede, alimento, (quæstionibus vulgo notis) differere, nisi Diæteticum nunc agerem potius, quàm Physiologum, paucisque ea explicare impossibile esset. Diæteticus enim supponit, esse in nobis naturaliter calorem, qui mediante sanguine in totum corpus diffundatur, & hinc illas partes, quæ plus sanguinis accipiunt, plus quoque caloris habere, quæ minus, minus incallescere. Supponit quoque calidum illud, quod in nobis est, undecunque etiam sit & quomodo productum, cum ad alias functiones omnes, tum inprimis ad ventriculi actionem concurrere, digestionem scilicet & concoctionem, eamque, si debilis calor aut frigida, ut ajunt, intemperies ventriculi, non recte fieri, experientia teste. Supponit quoque calorem naturalem (in quo conveniunt omnes, de natura licet illius inter se dissentientes) adjuvari ab actuali calido, & foveri & augeri, siue solis, siue culinaris ille sit ignis, siue alius.

XI.

Scilicet in calidi sanguinis per totum corpus libero, ac nusquam turbato motu & hominis & aliorum sanguineorum animalium vita consistit, eoque notabiliter vel plane impedito, maxima incommoda & mors ipsa inducuntur. Ut vero sanguis in debito suo motu con-

serve-

fervetur, actualis calor juvare potest, & hic illum præstat effectum, quem ubique edit, ut scilicet attenuet, rarefaciat, visciditates humorum corrigat, eosque in fluiditate conservet, & à concretionē defendat, uti contra actuale frigus, humores & sanguinem incrassando & condensando, motum eorum impedit & tandem plane tollit.

XII.

Sunt vero vary modi, quibus actualis calor corpori nostro communicatur, & in sanguinem modis prædictis agit. Videmus si vel tota superficies corporis, vel tantum partes quædam externæ, à solis aut alterius ignis calore incalescant, mox ad omnia quoque interiora calorem diffundi, ratione nunc ex Harveyanis principiis manifestissimâ. Continuus namque sanguinis motus est, isque mediante perpetuo cordis pulsu in universum corpus per arterias semper propellitur, & per venas ad cor redit, mox iterum ex eo expellendus. Si igitur is in externis calefit, ita calefactus per venas ad cor redit, unde propulsus, ut reliquæ etiam partes inde calorem concipiant, facit. Patet hoc evidentissime, dum si quis corpus refrigeratum calefacturus, aut manus pedesque igni admovet, aut res actu calidas plantis pedum apponit, quibus calefactis, mediante sanguinis motu calor mox in universum corpus transfunditur. Id quod etiam in fomentorum ac sacculorum usu patet, quæ dum variis corporis partibus usu exigente apponuntur, non illas tantum, sed totum etiam corpus calefaciunt. Ipsæ tamen illæ partes quibus actu calidum proximè admovetur, peculiarem ejus vim sentiunt, unde quamvis

pedibus calefactis ventriculus etiam inde commodum sentiat, ipsi tamen ventriculo apposita actu calida magis eum juvant, ut mox patebit.

XIII.

Quamvis autem hæc ita sese habeant, majorem tamen calorem totum corpus accipit, si interiores etiam partes ab actuali aliquo calido afficiantur. Hæ enim dum molliores sunt ac laxiores, facilius eas penetrare potest calor quem cibi calidi secum afferunt, & sanguini sese communicare. Non autem temere aliæ partes sunt in corpore nostro quàm fauces, ventriculus, & intestina, ac quodammodo uterus, quibus interius calidum aliquod admoveere possis. Docet igitur experientia quoque, quod cibi & liquores calide assumpti totum corpus calefaciant, liquores inprimis, cum tenuiorum partium sint quàm solidi cibi, & qua data viaruant, ac facilius vasis, à calore rarefactis, se insinuent, quaqua versum penetrent, atque sic calorem in totum corpus diffundant.

XLX.

Præ aliis tamen partibus ventriculus ab actuali calido aliquo roborari, & in actione sua adjuvari cupit. Hujus namque officium cum sit, alimenta ipsi ingesta digerere, concoquere, & in pultem aliquam resolvere, calor necessario ad talem operationem requiritur. Quod tamen non ita intelligi volumus, ac si calori totum illud chylicationis negotium unice adscriberemus, cum contrarium monstrent animalia illa, quæ licet non sensibili calore prædita, nihilominus durissima resolvunt; cum potius à succis salivaribus, aliisque ad ventriculum confluentibus ea dependere videatur, qui

qui assumpta penetrant, incidunt & fermentant, adjuvante simul calore. Non secus ac in Chemicis officinis, apud Pharmacopœos, illosque qui circa metalla versantur, fieri videmus, dum essentias suas, extracta aut tincturas paraturi, aut metalla soluturi, liquores illos solventes, Menstrua barbare appellatos, rebus solvendis affundunt, ad citiorem vero, faciliorem & meliorem effectum producendum liquores illos vel calefaciunt, vel in loco calido, in arena, cineribus, balneisque vasa sua tenent.

XV.

Præterea quoniam ab assumptis multa viscida & tenacia relinquuntur in ventriculo, & ipse salivaris humor sæpe inspissatur, hincque pituitosis, crassis & viscidis succis obruitur ventriculus, & in digestionis opere impeditur; Calor actualis illi necessarius valde est, qui incidat, attenuet, & mobiles iterum humores reddat.

XVI.

Jam tum quidem ea de causa Ventriculo à Creatore provisum est, patetque hoc ex ejus structura, & in corpore positu. Accipit sane longe plus sanguinis, quam ratione substantiæ ipsius ad nutrimentum erat necessarium. Tantus enim non est expansus ille uter, ut in ejus nutrimentum tot vasa requirerentur, quæ totum ejus fundum ambiunt, tantamque sanguinis copiam afferunt; Caloris igitur causa id factum est. Nec minus studiose illum natura collocavit intra calidissima viscera, quæ ab omni parte blando calore illum fovere, majus robur addere, atque ita in munere suo adjuvare possent.

XVII. Ni-

XVII.

Nihilominus tamen externum aliquod calidum desiderat, cum frigus nullo modo pati possit, ab eo-que humores illi, qui intra ventriculum sunt facile concrefcere, ac in lentam & inefficacem pituitam abire possint. Unde non tantum si ab externi aeris frigore, aut alia de causa refrigeratus sit ventriculus, ad concoctionem minus aptus est, sed etiam post febres calore nativo imminuto, humoribusque ventriculi lentioribus redditis, idem contingit, unde Practici fomentorum actu calidiorum usum tum magnificiunt, ad augendum iterum nativum calorem, humoresque fluidos reddendos.

XIIII.

Non minus autem id fieri videmus, imo facilius & efficacius, si alimenta tam solida, quam liquida calientia sumantur. Quod in se quisque experitur quotidie jusculis calentibus assumtis, nec dabitur facile qui contradicat, nisi forte sit qui vel propter longam consuetudinem, vel ob singulare ventriculi vitium ad omnia calida nauseet, vel ventriculo jam satis calido, ab aliis reapse calidis assumtis juvamen nec desideret, nec inveniat.

XIX.

Quod igitur cibi & liquores calidi laudabilem in corpore nostro effectum edant, & cum totum illud, tum ventriculum juvent, nullum est dubium. At vero de illis liquoribus qui fitis causa quotidie sumuntur, num calidi quoque illius sedandæ ergo assumi possint, dubium est. Frigidos enim illos à plerisque eo nomine sumi, non aquam tantum, sed alios quoque

omnes

omnes, passim terrarum in propatulo est, unde *Plinius l. 28. c. 4.* nullum animal præter hominem calidos sequi potus, ideoque *non naturales esse colligit.*

XX.

Verum quamvis de brutis hæc ita se fortassis habeant, primo tamen non video quomodo statim ab his ad hominem, vel in aliis rebus, vel in concoctionis negotio argumentari possimus. Illorum enim corporum & constitutionem, & structuram diversam esse ab homine, præcipue circa ventriculum, notissimum est, cum ita in animalibus sit adaptatus, ut multa sufferat & sufferre possit, multa assumat, digerat & in corporis nutrimentum vertat, quæ ab homine consumi nequeunt, experientia teste. Neque tantum inter hominem & bruta, sed etiam inter ipsa animalia bruta differentia talis intercedit, quam in singulis hic exponere, nimis longum foret.

XXI.

Deinde tamen neque bruta animantia calidum potum ita abhorrent, aut ab eo male adeo habent. Natura enim ipsa illis dum primum nata sunt, non secus ac homini, lac ex mammis maternis, idque non frigidum, sed actu calidum aut tepidum, sugendum exhibet, quo non minus sitim extinguunt; Nec dubium est, quin, si ab lactatis continuo daretur tepida, non minus, eodemque cum fructu eam bibitura sint quam frigidam, cui ex necessitate sese assuefaciunt, dum alium calidum aut tepidum liquorem nullibi habent, & ita frigido contenta esse coguntur. Non minus tamen adultis etiam animalibus calida interdum porrigitur, quam avide assumunt, cogunturque

C

hoc

hoc iis dare qui curam pecudum habent, quando vel ægrotant, vel à foetu edito recentes sunt.

XXII.

Quin imo in Orientalibus & calidissimis locis, ubi aquæ magnam partem tepidæ sunt, nec animalia, nec ipse homo vivere possent, si aqua frigida sola sitim tolleret. Verum aquæ calidæ vel tepidæ frigiditas quidem detracta est, non tamen humiditas, quæ sola sitim sedat. Non sane frigida qua frigida id faciunt, sed qua humida, imo frigida contrarium interdum agunt, cum non rarum sit, à frigido & tempestuoso aëre pleno ore hausto, sitim eundem in modum excitari, ac à calore. Et solum humidum quid sufficiens esse ad mitigandam sitim, vel illud probat, quod sitientibus balneum aquæ tepidæ dulcis auxilio sit, solusque infusus, imo pedum duntaxat in ejusmodi aquam immersio, aliquando & felicius, & citius sitim fedet, quam copiosè licet ingestus potus. Quin solida etiam, dummodo sint humida, sitim restinguunt.

XXIII.

Non igitur sitibundi homines potum postulant frigidum, nisi quatenus assvefacti, sed tantum humidum, qua sola qualitate si præditus est, uti etiam esse debet, omne illud præstat quod à potu expectatur. Videmus quoque non infantibus tantum per lac tepidum, sed aliis quoque per jacula, licet calida, sitim sedari, & non paucos senes calida bibere, etiam sitis restinguendæ gratia. Siccitas potius est, quæ in ventriculo & faucibus molesta, sitim excitat, quæ tamen nihil aliud nisi humidum aliquod, etiam absque frigido, desiderat. Hinc etiam illi qui Theæ potandæ assveti
sunt

sunt, ejusque infusum in notabili quantitate quotidie assumunt, vel in magno æstu de siti non conqueruntur, nec alium potum desiderant, quod nempe corpus eorum sufficienti & copioso humido, calido licet, perfusum, frigido alio non indigeat.

XXIV.

Quamvis etiam auctus sit p. n. calor, non tamen tum necessarium omnino potum frigidum, sed frequenter noxium potius dicerem, cum ex refrigeratione subitanea facile restagnet sanguis, inque grumos labeat, & gravissima mala imo mortem sæpius ipsam inducat, ut illi apud *Hipp. lib. VI. pop. part. 8. prop. fin.* accidit, qui frigidam copiosam sumserat post lapsum in caput, & tertia die mortuus est. Unde etiam frigida multis in locis ab eodem damnantur, ut *VI. pop. part. 5.* quia frigus ea quæ in corpore sunt indurat, cessante etiam ob diminutum calorem coctione. In pectore quam multi gravissimi morbi, pleuritides & peripneumoniæ, à potu frigido oriantur, notius est, quam ut pluribus hoc in loco probetur: Contra autem longè felicius eosdem affectus curari, si ægri morigeri, tepida decocta pectoralia, tepidosque potus, etiamsi ex febre æstuent & sitiant, assumant, asseruit mihi *Cl. Dn. Præses*, qui idem ante aliquot annos tertiana laboranti medicinam fecit, qui ultro calidum cerevisiæ potum petiit paroxysmi tempore, ac Medico indulgente, imo sradente, liberaliter urgente siti bibit, idque altero & tertio paroxysmo repetiit, non sine prompta febris solutione. Quod ipsum etiam Hippocrates suis febricitantibus consuluerat *lib. de loc. in hom. cap. xxxix.* addens rationem.

quod ex ægri corpore melius causam morbificam tollat per sudorem & per Urinam. Quamvis enim hic calidum calido addatur, fermentum tamen febrile, quod sanguinem agitat, eo melius expellitur, dum sudores, in declinatione febrium supervenientes, eo largius promanare facit, & præterea calidum illud humidum non minus sitim, quam calidum frigidum restinguit.

XXV.

Si igitur potus calidus & concoctionem juvat, ut revera facit, quatenus calore suo internum nostrum calorem adauget, & sitim nihilominus exstinguit, ut multis probatum est, cur non binis illis nominibus commendetur? Cur adeo fastidiunt mortales salutarem illum potum, solo forte, ex diutino frigidaë usu præjudicio, & per consuetudinem inducta persvasione? Quibus sane sanitatis causa obviam ire par est.

XXVI.

Postquam calidum potum laudavimus, videndum nunc an ille ex aqua solum constare debeat, an etiam alterius generis esse possit. De Veteribus quidem, eos Vinum præterea usurpasse, & vel aquam calidam Vino, vel Vinum calefactum frigida miscuisse ex citatis *Antonio Persio* & *Job. Freinshemio* manifestum est. Et ita possent non minus in nostris locis calidaë cerevisiæ bibi aut vinum merum; Sed nos nunc potissimum de Aquæ Calidaë usu agemus, ideoque & aquam in potum sufficere posse probabimus.

XXVII.

Jam tum autem ostensum est, primum fuisse potum pu-

tum puram & simplicem aquam, eamque omnibus etiam in prima illa ac innocenti ætate placuisse ac suffecisse. Notum deinde etiam est, adhuc hodie in maxima orbis terrarum parte plurimos esse aquæ potiores, non tantum inter plebeios & rusticos, durissimis laboribus assuetos, sed delicatas quoque foeminas, imo totum pene illum sequiorem sexum in Gallia, Italia, Hispania, sola aqua, & vix guttulis aliquot Vini aspersa, contentas vivere. Jucundumque est legere in hanc rem, quæ de mulierum Romanarum abstinentia à Vino, legibus etiam inducta, notant *Plinius Hist. nat. l. 14. c. 13. & Val. Max. l. 2. c. 5. & Gellius l. 10. c. 23.* quamvis crescente luxuria præsci moris eas cœperit oblivio, ut *Seneca* suo tempore *virorum licentiam æquasse*, & *mero Viros pro vocasse* scribat *epist. 95.* quod tamen de paucis tantum intelligendum. Nec desunt in nostris regionibus nobiles & Principes foeminae, quæ Vinum nunquam, aquam tantum coctam hordeo, aut radice aliqua incocta, bibunt, citra ullum sanitatis detrimentum. Ut proinde multis nostratium merito objici debeat illud Augusti Cæsaris apud *Sveton. c. 42.* qui conquerentem Populum Romanum de inopia & caritate Vini severissima voce coercuit, satis provisum dicens, è genero suo Agrippa, perductis pluribus aquis, ne homines sitirent.

XXIIX.

Scio hic objici consuetudinem & diversum clima, multaque posse fieri ab assuetis, multa sub calido cœlo, quæ in assuetis noceant & Septentrionalioribus. Et hæc sane sunt potissima argumenta, quibus *Anglus Medicus Richard. Schort* in suo libro *περί ψυχροπνοίας*

morem illum aquam bibendi impugnat, quem ante triginta tres annos Cantabrigiensis quidam Medicus Anglis laudaverat.

XXIX.

Equidem consuetudinis magnum in victu momentum est, nec temere ab ea recedendum, cum consveta, etiamsi deteriora, meliora sint assvetis, teste *Hippocrate* & experientia. Non tamen hoc ita strictè accipiendum est, ut non interdum consvetudinem in victu abolere liceat, aut citra sanitatis detrimentum id fieri nequeat; Contrarium enim testatur experientia. Et videmus in peregrinantibus, quod ratione diversarum regionum variis cibis potibusque inassvetis usi, non male tamen habeant. Dant nobis quoque exemplum milites, qui ex variis gentibus licet coacti, & in varias terras translati, potu mutato non sanitatem statim amittunt, sed maximis laboribus sufficiunt, solius aquæ potu corpus reficientes, quam etiam in obsidionibus urbium non gregarii tantum milites, sed ipsi Duces bibere coguntur, quod ab Hispania cum triumpho redux Cato de se gloriabatur: *non aliud* inquit, *Vinum bibi quam remiges* apud *Plin. l. 14. c. 13.* Quid? quod si rectè rem examines, tenuis illa cerevisia, quam bibere coguntur plebeji, nautæ & pauperculi omnes, (quæ *Schiffer-Bier* / *Kovent* dicitur) solo sæpe colore & amarore aliquo ab aqua differt, cum etiam revera nihil aliud sit, quam cocta & frugum qualitate levissime imbuta aqua. Nec aliud fere fuit quam aqua, Lora illa Romanorum, maceratis aqua vinaceis, quam bibebant fœminæ, familia, operarii, rurales, quam *Plinius lib. XIV. c. 10.* negat jure dici *Vinum*, quamvis in-
ter

ter *Vina Operaria* (quod scilicet operariis data) numeretur.

XXX.

Etsi quoque aliquo modo & comparative concedi possit, in frigidioribus locis potum convenire calidiorum, quam in calidioribus, tamen nec id simpliciter verum est, in frigidioribus noxium esse, cum non minus in his pauperuli, & necessitate coacti milites, aquam sine detrimento bibant. Quin Anglo illi opponimus Scotos montanos, apud quos sola fere aqua plebem uti, testatur *Sibbaldus in prodrom. Hist. Nat. Scotiæ l. i. cap. ult. p. 46. & c. 19. p. 43.*

XXXI.

Neque enim ad Coctionem, quæ in Ventriculo fit, necessarius est calidus & penetrans Vini, & cerevisiæ, frugum virtute imbutæ, potus, sed liquor tantum qui emolliat, maceretque, ut resolvi, & dein digereri melius assumpta possint, id quod à sola aqua sperare licet. Quam proinde recte *Voracem* dixit *Hippocrates VI. Epid. V. 38.* quod bibita Cibi aviditatem augeat, confirmante in Aquæ potoribus experientia, qui & recte appetunt & bene coquunt, imo Voraces sunt. Notabile exemplum est apud *Casparem Asellium.* qui *lib. de Ven. Lact. c. 23.* eleganter ita scribit: *Novi aquæ potorem non ignobilem, qui facile duos capos uno prandio conficeret, nec sine pulmento, inscio, casei quadra, & locum tamen relinqueret. ubi reliquiarum reliquias conderet.*

XXXII.

Quid enim extra corpus nostrum sola aqua possit, in solutionibus corporum salinorum, & resinorum
forum

forum, in extractionibus virtutum in plantis reconditarum (si præsertim per ignem acuatur, ut dein dicemus) in Pharmaceuticis officinis, imo in Culina quoque, quotidie videmus : Cur non igitur etiam in corpore nostro solvere assumpta, & ex iis vires extrahere possit ? Quin eadem culina nos docet, multa in aqua blandissime agente, mollescere, & resolvi, quæ à Vino & aceto id non faciunt : ut proinde in Ventriculo resolutionem duriorum Ciborum tam bene ab aqua quam à Vino vel forti cerevisia, imo promptius & melius ab illa, quam ab his expectare liceat. Fortassis etiam, uti Pharmacopœi recte observant, liquores jam tum aliis rebus saturatos, ad ea, quibus superfunduntur, extrahenda, minus esse aptos ; ita Cerevisia à frugibus incoctis saturata ad concoctionem minus est apta.

XXXIII.

Cum igitur à bona in ventriculo digestionem sanitas humani corporis & immunitas, ac proinde vita longa dependeant, non male *H. Cardanus lib. de Aqu. p. 17.* aquam plurimum ad vitam longam conferre arbitratur, idque probat duobus exemplis, altero Indi cujusdam Hydropotæ, quem ad trecentos annos vitam produxisse, aliena tamen fide refert, altero Hispani, quem centum annos & amplius vixisse, nullo præter aquam potu assumpto ipse observavit. Juvatq; in hanc rem legere quæ apud *Prosp. Alpin. de Med. Egypt. l. 1. c. XI. & XII.* inter illum & Gvilandinum disputantur de Longævitate Ægyptiorum, an ex Aquæ Niloticæ usu proveniat, ubi recte contra *Galenum* negat *Alpinus*, aquam omnem in potu noxiam esse, & ita loquitur : *Infiniti sunt populi,*
tum

tum in Africa, tum in Asia, aquam solam potantes, quæ
rectissime valent, corporaque habent boni tum succi,
tum habitus.

XXXIV.

Id quod non minus in Europa verum est, ubi Hy-
dropotas videmus optimo corporis habitu præditos,
ad quasvis functiones qua animi, qua corporis esse
aptissimos. Quin ad liberorum quoque procreatio-
nem; quod non crediderit ille in Comœdia, qui *sine*
Cerere & Libero i. e. vino frigere Venerem dicebat.
Equidem ad libidinem excitandam, quam Veneris no-
mine intelligit nequam servus, plus fortassis valebit
Vinum aliquod generosum οἶνος οἰνωδης, vel cerevisia
fortis Garlebiana, aut Goslariensis; ad moderatum ta-
men & legitimum Veneris inter conjuges, sobolis pro-
creandæ causa, usum, Aquam sufficere arbitror. Id
quod suo illustri exemplo nos docuerit magnus Ictus
Andreas Tiraquellus, qui quadraginta quinque liberos
genuit, cumque totidem numero libros scripsisset, occu-
patissimus alias in rebus gerendis, & vinum non
biberet, ingenioso Poetæ hujus elegantis Epigram-
matis condendi occasionem dedit:

Æcundus facundus aquæ Tiraquellus amator,

Ter quindecim librorum & liberum parens.

Quinisi restinxisset aquis abstemius ignes,

Impleisset orbem prole animi atque corporis.

De quo etiam id memorat in Elogio ejus Scævola Sa-
martbanus p. 31. obiisse plane senem, & animo semper pla-
cido & sereno, tranquillitatem quandam, ac benignam ve-
luti temperiem in omni vita constantissime retinuisse, neq̃

temere aut ira, aut quavis alia graviore perturbatione visum commoveri, ut ita in uno Tiraquello exemplum Aquæ potoris habeamus, qui & animo valuerit plurimum, in Reipublicæ muneribus occupatissimus, & nihilominus libris optimis plurimis scribendis par, moderatione vero animi insignis nec minus corpore validus, plurium liberorum parens, ad extremam senectutem pervenerit. Et cessabimus adhuc laudare aquæ usum?

XXXV.

Uti vero aquæ potus sanitatem conservat, & à multis morbis præservat, ita non est dubium, posse etiam humores malos diluendo, corrigendo, & e corpore per sudoris & urinæ vias abducendo, morbos graves & difficiles frequenti & continuato usu curare. Quæ de aquæ Niloticæ viribus in calculo & Melancholia hypochondriaca refert *Prosper Alpinus loc. cit.* merentur in hanc rem legi, quamvis forte illa aqua, quæ per alvum, urinam & sudorem operatur, videatur præ aliis aliquid peculiare, & Acidulis Thermisque simile habere. Non minus tamen de simplici aqua id constat: Cujus in podagra, Vini loco, usum *magnificum præsidium, ac pene divinum vocat Bruyerinus de re cibaria lib. 16. c. 13.* Medicique Veneti exemplo id confirmat *Trincavellius*, qui ad senium usque primum infestatus podagra, vinum dum biberet, liber dein & dolorum expers ad ultimum senium, aquam cum biberet, fuerit, *de curand. morb. l. 12. c. 2.* Pertinentque huc exempla eorum qui ad extremam pauperiem reducti, & in carceres coniecti, cum luxuriosa vita relicta

aquam

aquam pro Vino bibere cōgerentur, à podagra liberati fuerunt, *apud Schenk. obs. l. 5. Confer Hermannum Vander Heiden in Discursu Gallico de admirabilibus virtutibus aquæ, & altero de Podagra.*

XXXVI.

Sic in aliis quoque morbis, ubi falsi, & fermentativi dominantur humores, aquæ quotidianus potus juvat, particulas ejus generis per Urinam abducens. Id quod uno instar omnium, sed notabili exemplo, confirmabo ex nupero erudito scriptore & ingenuo *Pompejo Sacco* patricio *Parmensi Medicin. Theoretico-Pract. Consult. XLIII.* ubi virgo religiosa post cibum sumtum motibus convulsivis tam immaniter oppressa, ut à multis detineri non posset, plurimis cephalicis & antispasmodicis remediis, sale succini, cranii, Bezoardico Joviali, Tinctura Castorei, Antimoniatis frustra usa, tandem Vino abdicato aquam in prandio semper bibere incepit, & hujusmodi symptomatibus non supervenientibus, continuato ejus usu, libera evasit: sine dubio quod effervescentiam, & materiæ morbificæ agitationem impediret. Plane ut in Colica biliosa haustus aquæ eam præsentem sopit, venturamque intercipit, seu sæpius sibi observatum mihi retulit *CL. Dn. Præses* non tantum in Colica, sed etiam in hysterica Passione, in fœminis juvenculis, calidis & biliosis. Et hoc consilio non male Viro cuidam reverendo, ad aciditatem Ventriculi temperandam aquæ potum commendavit *Fridericus Lossius Consil. Med. 39.* & ad cruditatem ventriculi Archiatri Gallici Reginae Mariæ, apud citatum *Vander Heiden p. 73.*

XXXVII.

An nutriat aqua hominem, nec ne, prolixè nunc non disputabimus: Cum tamen animalia quædam, licet frigidiora ut pisces, sola aqua, certissimis experimentis (*videbis vel unum Rondeletium lib. 1. de Pisc. c. 12*) in magnam molem excrescant, non videtur id negandum, testante insuper *Alberto Magno l. 7. de animal. c. 3.* Melancholicum quendam sibi visum, qui per plures septimanas sola aqua vitam sustentavit. Quicquid tandem hac de re sit, bonum tamen corporis habitum conservat aqua, & dum acres salinasque particulas è sanguine cluit, illumq; dulciorem reddit, sanitatem procurat, corpusque à macie, siccitate, & squalore præservat. Quomodo etiam externè Balnea Aquæ dulcis plurimum ad bonum corporis habitum conferre notum est.

XXXIIX.

Verum postquam nunc abunde dictum est de Aquæ ad sanitatem corporis nostri conservandam, & contra morbos usu: videamus porro, an eadem calida quoque dari possit, & quo cum effectu.

XXXIX.

Sunt autem jam tum initio harum thesium, ea adducta, ex quibus hæc quæstio facile decidi potest. Si enim Aqua tam insignem in corpore nostro vim habet, in concoctione scilicet, quæ in ventriculo fit & in alimentorum medicamentorumque viribus extrahendis, & communicandis sanguini, quis non videt eam calefactam longe promptius & melius operaturam esse, & ut non incommode loquitur *CL. Borrichius lib. de usu plantar. indigenar. in Medic. p. 83.* flaccidas organorum partes firmaturam uberius, obstructions
vero,

vero, dum humores hoc modo fluidiores reddit, facilius feliciusque referaturam.

XL.

Neque vero ab aqua Calida id metuendum est, quod ab aliis potibus calidis vini vel cerevisiæ, ut scilicet caput petant, illudque vaporibus replendo somnolentos homines reddant, cum nihil minus faciat, nec corpus nostrum, sanguinemque, ut alii liquores, immutet turbetque.

XLI.

Quamvis autem apud nos rarior sit Aquæ calidæ usus, tamen, qui illam bibunt, non damnum, sed commodum inde percipiunt, confirmaturque id supra allatis & Indorum & Japonensium, quin omnium fere Asiaticarum gentium, calidam aquam Theæ superfusam bibentium, exemplis. Quamvis enim non omnem vim ipsi herbæ velim denegare, tamen fermenti aquæ potiores partes tribuendas censeo in illis effectibus, quos vel illi sentiunt, vel nostri ex quorum exemplo, quasi quadam Theomania, frequenter aquam Calidam, hoc modo præparatam, bibere cœperunt.

XLII.

Quamvis enim videatur omnino improbandum, quod ita sine delectu omnibus cujuscunque constitutionis & temperaturæ, imo ad quosvis morbos, laudatus fuerit calidus potus Theæ, tamen negari nequit quosdam ab illius usu optime habuisse, bene coxisse, & ad omnes corporis mentisque functiones fuisse aptos. Alios etiam à scorbuticis Hypochondriacisque symptomatibus, & arthriticis, nephriticisque doloribus

bus aliquamdiu liberatos fuisse, id quod tamen potius debetur ferventi aquæ, morbosa semina eluenti, & particulas acres per corporis poros, & urinæ vias, adde per alvum quoque, abducenti. Unde illis etiam inprimis Theæ potus profuisse observatus fuit, quibus harum sensibilibum evacuationum una vel altera supervenit, quarum tamen non temere aliquam à pulvere Theæ, drachmæ licet unius pondere assumpto, observare licuit.

XLIII.

Et vero, si veteres artis nostræ antistites consulamus, ad plurimos morbos Aquam calidam profuisse deprehendemus. Unum audiamus *Aetium Tetrabl. I. serm. 3. c. 165.* *Aqua inquit calida convenit, ubi oportet excretionem præparare, & ubi quid attenuare, & ubi diffundere, & liquefacere, aut mollire, aut eluere, concoquere aut discutere volumus.* Bone Deus! quot non indicationibus sufficit una Aqua calida! in quam multis igitur morbis convenit! Pergit proinde *Aëtius: Particulatim vero mucum ducit, & sreatum adjuvat, & dolorem omnem mitigat, & præsertim in præcordiis ac intestinis: ructum movet, & flatum provocat, urinam ac secessum ducit.* Bona est etiam ad concoctionem ac digestionem, & nutritionem & augmentum. *Menses ducit, nervis & convulsionibus idonea est, ut etiam pleuritidi & Peripneumoniæ.* In quem locum commentarii diffusi instar est *Dissertatio altera de potu Calido eruditissimi Marci Mappi Professoris Argentinensis.*

XLIV.

Nos vero non solum id hic agimus, ut ad morbum aliquem

aliquem tollendum Aquam Calidam, tamquam medicamentum, inter alia feliciter aliquamdiu adhiberi monstremus, sed ut etiam ordinarii potus loco Aquam calidam adhiberi posse, magna in sanitatis negotio utilitate, evincamus. Neque enim hic exempla defunt & auctoritates. De priscis illis Græcis Latinisque Thermopotis non quidem dixerim, semper eos, & in quovis prandio vel cæna calidum bibisse, cum luxuriæ potius causa biberint, & voluptatis, quam sanitatis. Qui tamen *del beber caldo* tam egregium, quam rarissimum librum scripsit ad Clementem VIII, ante annos nonaginta quatuor, *Antonius Persius*, suo & aliorum exemplo docet, posse Calidam aquam bibi omni tempore, cum fructu & contra catarrhos. Quod & de Nobilibus Genuensibus, & de Græca quadam foemina testatur *Bartholomæus Pasquetus Genuensis l. 2. de destillat. c. 4.* Unum ego ex *CL. Dn. Præsidis* observatione exemplum adjiciam in Illustrissima, & de tota patria præclarissime merita, & merente Persona, quæ cum jam sexagenaria variis tentari morbis coepisset, podagra non tantum, sed & tumoribus & ulceribus pedum, ab aliquot jam annis missis aliis potibus, tam in prandio, quam in cœna, non nisi aqua calida utitur, quæ antequam bibatur, pani similaceo tosto, & pulvere nucis Moschatæ consperso superfunditur, paucoque saccharo svavior redditur, cujus usu jam ab omnibus memoratis affectibus libera, bene concoquit, etiam duriora interdum, & ex voto omnium bonorum sana agit.

XLV.

Uti vero non pura hæc est aqua, ita tamen quicquid

quid agit, Aquæ potius, quam adjectis deberi, nemo non videt. Factumque hoc est ab aliis aquæ potioribus quoque, ut eam additis nonnullis sive correxerint, sive exaltaverint. Turbidas aquas suas Tartari Enula Campana injecta corrigunt. Montani Scoti (de quibus ex *Sibbald* supra) radices Astragali Sylvestris Thalii in aquis suis macerant, iisque dulcem Glycyrrhizæ saporem conciliant. Alii Cinnamomi aliquid infundunt, Japonenses suam Theam. Veteres Græci & Romani calidam aquam cum Vino miscbant, quorum exempla imitati Antonius Persius, cum suis sociis, & Galii illi, quos *Bruyerus* memorat *lib. XVI. de re cibar. c. II.*

XLVI.

Et vero licet hoc facere, & vel hæc, vel illa addere vel infundere, dummodo in nimia copia id non fiat, & sua maneat aquæ Calidæ agendi virtus. Egregiæ sunt illæ nostri seculi doctorum & expertorum Medicorum cogitationes & experimenta, quibus, ad morem herbæ Theæ, alias salutare nostrarum regionum herbas infundunt in aquam ferventem, & cum ea bibunt, quod in Pectoris affectibus, asthmate, phthisi, magno cum successu se fecisse infusis pectoralibus herbis, scabiosa, veronica, pulmonaria, hederæ terrestri, asseruit mihi *Cl. Dn. Præses*. Merentur autem in primis legi quæ in eruditissimo suo opusculo de potu Theæ hoc modo differuit *Pechlinus*, Ducis Holstatiæ Archiater, magno iudicio & plurima doctrina. Cum quo paria facit multæ itidem eruditionis & experientiæ Vir, *Olaus Borrichius*, in citato de usu plantarum Indigenarum libello, ubi ita laudat hæc infusa

fusa plantarum calide bibita, ut spiritibus earundem (quibus alias multum tribuit) præferat, his notabilibus verbis: *Neg, juverit obduxisse, hic spiritus Plantarum, ut efficacissima sanitatis instrumenta excludi: Enimvero, quo spiritus illi puriores sunt, vebementius sepe offendunt ægros, & spiritibus corporis nati-vis vim faciunt, cum mixtura hæc agat moderate, & nihil adeo, si à prudente regatur, in corpore humano incendat.*

XLVII.

Verum ut de potu Aquæ Calidæ tandem concludamus, cum & aquam pro potu usurpatam insignem ad sanitatem usum, eamque calidam longe pottiorem habere, rationibus & experimentis ostensum sit, evidens est, eam à Medicis eo nomine recte posse, & debere commendari.

XLIX.

Cum tamen etiam & alios præter Aquam liquores, ut Vinum, & cum frugibus decoctam aquam, & ipsam aquam frigidam, uti naturaliter est, in magna orbis terrarum parte hodie bibi videamus, citra noxam corporis, non id volumus, ut illa consuetudo aboleatur, & omnes Calidam Aquam bibant, sani pariter & ægroti, in omni climate, & omni anni tempore; cum omnibus eam profuturam, nisi longa deinde consuetudo accesserit, non sit verosimile.

XLIX.

Id tantum volumus, posse à prudenti Medico in nostris quoque locis septentrionalioribus, Aquæ Calidæ

lidæ potum quibusdam, alios potus abhōrrentibus,
vel noxios sibi deprehendentibus, tuto concedi: Pos-
se etiam senibus ventriculo frigidiori, acrioribus ta-
men succis repleto, cum fructu dari. Posse in multis
morbis ad humorum in sanguine acrimoniam eluen-
dam, magna cum utilitate commendari: Majori
cum fructu, quo diutius bibatur, cum talia blanda
non nisi continuato usu edere effectum soleant.

L

Uti autem ex his patet, non temere quemlibet,
& suo arbitrio ad Aquæ Calidæ usum posse devenire,
(uti multi his ultimis annis temere Theam potitan-
tes, loco levaminis quod sperabant, in graviora cor-
poris mala inciderunt) ita manifestum quoque est
ipsum Medicos, si cui consulere illum velint, corpo-
ris & humorum constitutionem cum omnibus cir-
cumstantiis diligentissimè debere considerare, & tum
demum quid ex usu sit decernere. Qui enim, in An-
glia præsertim, ante hos triginta tres annos de Aquæ
Potu, & Calido Potu scripserunt, videntur ab utraque
parte, ut possent suam *Θέσιν φυλάττειν*, nimis eam vel
commendasse, vel vituperasse, cum tamen in hac re,
uti alia omni, medium tenere tutius sit; & nec per-
mittere, vel commendare omnibus, nec in univer-
sum negare ægris suis prudens medicus hunc, inu-
sitatum licet Calidæ Aquæ usum, debeat, rationibus
in hac exercitatione abunde expositis, quas firmare
amplius, publica Thesium ventilatione,
DEO favente, annitemur.

F I N I S.



O! qui Poeoniâ magnorum stirpe Parentum,
Per Patris, & per Avi, per Proavique latus,
Ortus, & in cunis Phæbo sacratus amico,
Undique Divinæ congeris Artis opes,
Quid mirum, trito si non consistere calle.
Nec dare, quæ toties cocta, recocta, velis?
Conquirant alii stirpes de montibus altis,
Quasque foveat sacro sylva, vel unda, finu:
Quas Lemnus, quas Pontus habet, quas Creta mi-
nistrat
Ecce cunda, & longis Indus uterque viis.
In terram, terræque alius penetralia sese
Abdat, & ex illis cruda metalla petat,
Sulphureos succos, & magmata, & impiger arte,
Ne data sint homini dira venena, coquat.
Simplicitas tibi, Amice, placet; tu cautior illis
Eximium ex pura das medicamen aqua.
Illimes haustus, & puri nectaris undam,
Si modo molliculo cocta sit igne prius,
In magnis dare magna doces solatia morbis,
Tanta est ingenii, copia tanta tui.

Et jam Principibus placeat quoque gratior unda,
Nec sola hunc potum fervida Baucis amet,
Nec gelidâ sedare sitim modò messor anhelet,
Sed Calidam in certam postulet æger opem!
Hæc tua dum monstat præclaris pagina verbis,
Et creat in doctis, & levat illa sitim,
Et tibi in eximia Medicorum classe perenne,
Et Patris, & Proavi, spondet Avique decus.

Auditori suo per plures annos diligentissimo, eruditione & virtute præstanti, l.mque scripsit.

Henricus Meibomius.

